



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XIV. Superstitionem ex Republica tollendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

quam intellectam fraudem indicabis. Deceptus enim damnum duntaxat ferēs, si fraudi occurras; quasi peccari principis conscius, inter inimicos esseberis.

CAPUT XIV.

Superstitionem ex Republica tollendam.

*Impietas,
& supersti-
tio ex equo
fugienda.*

§. 1. **D** V o scopuli sunt ad quos religio & pietas, si à recto deflectat cursu, alliditur, & crebro frangitur, vnus à longe prospici potest, supra fluctus enim exstat, & dorsum immane maris, exerce & palam nauigantibus minatur; alter sub vndis latet, & incautos excipit, ideoque non nisi à peritis, & vigilantibus vitatur. Scopuli illi sunt impietas, & superstitio. Hinc duo genera eorum qui Rempublicam administrant, alterum plane atheorum, alterum superstitiosorum. Qui athei omnino sunt, Politicos se nominari gaudent, falso omnino nomine, nihil enim magis obstat civili prudentiæ, quam Atheismus, deique ignoratio, & contemptus. Atheorum tamen siue Pseudo-politicorum duplex est sententia de Republica gubernanda. Quidam enim palam omnem non modo religionem, verum etiam superstitionem è medio tollunt. Epicuræos, Diagoramque secuti, vt Mezentius:

*Atheismus
Politicen
euerfit.*

Dextra mihi Deus, & telum quod misile libro.

*Deum in
proelia vo-
cant impij.*

Et Mezentio vetustior Capaneus, qui mediis in astris sic loqui auditis est. Theb. lib. 10.

*Nullane pro trepidis (clamabat) numina Thebis?
Statis? vbi insande segnes telluris alumni
Bacchus & Alcides? piget instigare minores
Tu potius venias, (quis enim concurrere nobis
Dignior.) En cineres semeleaque basta tenentur.
Nunc age, nunc totis in me conitere flammis
Iupiter. An pauidas tonitru turbare puellas
Fortior? & foteri turres exscindere Cadmi?*

*Athei ex
multitudi-
ne hærescon
nascuntur.*

Tales canit nobis vetustas Gigantes, Aloidas; sed nunquam illa hominum piacula defuerunt. Dionysius per iocum fana spoliabat, Brennus item Delphos, alique. Nec Christianis temporibus defuerunt, Fridericus secundus. Tres, dixit, fuisse impostores insignes, qui genus hominum seduxerint, Moysen, Christum, Mahometem: eodem nunc multi tendunt, dum enim in tam magna religionum varietate nullam eligere possunt, omni carent. Contra hos iam dudum ago. Illi enim de pietate, iustitia, innocentia populorum suorum parum solliciti, satis habent, si illis subditis vrantur, si arbitrio ipsorum pareant. Imo flagitiis eos deuotos, libidinibus eneruatos esse cupiunt, ne contra imperium monere aliquid audeant, voluptatibus vnice addictos. Apud eos vnicum peccatum agnoscitur, & punitur, crimen læsæ maiestatis humanæ. Verum errant illi, & errore suo se, atque Rempublicam euertunt, fieri enim non potest, vt molliter regant populum, superbiam, luxu, ira, auaritia deprauatum, duro igitur, & imperioso rectore tales indigent, vt equi indomiti, & oris contumacis acriore freno, & duris lupatis coercendi sunt. Deinde ex licentia nascitur sumptuum magnitudo, inde egestas, cuius proles est iniuria, furta, rebellio, & commouenda, aut euertenda Reipublica cupiditas.

*Magna vi-
tia duos
exigunt
principes.*

*Athei nullū
numen a-
gnoscentes,
a iis infini-*

§. 2. Alterum genus atheorum est, qui nulla quidem ipsi superstitione tenentur, inanibus tamen numinum terculamentis plebeculam premendam censent, caerimonias illi caerimoniis addunt, & di-

uos diuis, variarum religionum conditores irreligioli. Fecere hoc plurimi ciuitatum magistratus, & iam olim fuisse in more positum Varro docet. Multa inquit esse vera, quæ non modo vulgo scire non sit vtile, sed etiam tametsi falsa sint, aliter existimare populum expediat, & ideo Græcos Teletas ac mysteria taciturnitate clausisse. Hic certe, inquit, Augustinus lib. 4. cap. 31. totum consilium prodidit, velut sapientium, per quos ciuitates, & populi regerentur, & cap. 32. Dicit etiam de generationibus Deorum magis ad poetæ, quam ad physicos fuisse populos inclinatos, & ideo sexum, & generationes deorum maiores suos id est, veteres credidisse Romanos, & eorum constituisse coniugia. Quid vtrique non aliam ob causam factum videtur, nisi quia hominum velut prudentium & sapientium negotium fuit populum in religionibus fallere, & in eo ipso non solum colere, sed imitari etiam demones, quibus maxima est fallendi cupiditas. Sicut enim demones nisi eos quos fallendo deceiverint, possidere non possunt: Sic & homines principes non sane iusti, sed demonum similes, ea quæ vana esse nouerat, religionis nomine populis tanquam vera suadebant, hoc modo eos civili societati velut artius alligantes, quo fallaces similiter subditos possiderent. Quis autem infirmus & imbecillus enaderet simul fallaces, & principes ciuitatis, & demones?

*Quæ vana
sunt, sola
taciturni-
tate secura
sunt.*

*Principes
fallaces si-
militer da-
monibus.*

Nec iniuriam illis ab Augustino fieri, docet Cicero libr. 1. de natura Deorum. Quis tam cæcus in contemplantis rebus vnquam fuit, vt non videret species istas hominum collatas in Deos, aut consilio quodam sapientium, quo facilius animos imperitorum ad Deorum cultum à vitæ prauitate conuerterent: aut superstitione, vt essent simulacra, quæ venerantes, Deos ipsos se adire crederent? Auscunt autem hæc eadem poeta, pictores, opifices. Erat autem non facile, agentes aliquid, & molientes Deos, in aliarum formarum imitatione seruare.

*Sapientia
est inspiem
omnia tur-
bare.*

§. 3. Hoc igitur totum genus superstitionis explodendum est, parum enim interest, per superstitionem aliquem, an per atheum superstitionem in Rempublicam inducatur.

*Athei, &
superstitio-
simul reli-
gionem tol-
lent.*

Magna sunt vero superstitionis detrimenta, primo, quia ipsa est affectatrix, & interpolatrix veræ religionis, & errore mentes, quasi vinculis captiuas tenet. Miratur Plutarchus in Camillo. Ἀρδω-
πίνην ἀδένειαν θεῶν οὐκ ἐχρυσαν ἀλλ' ἐπαρκεμένην, ὅπου μέν
ἴς δεισιδαιμονίαν καὶ τῦπον, ὅπου δ' εἰς ἀλιγνείαν καὶ θῶρον,
καὶ πειρασμὸν. Humanam imbecillitatem miratur, finem non habentem sed exorbitantem, alibi in superstitionem & fastum, alibi in neglectum Deorum, & contemptum: Timidarum igitur, & pusillarum mentium est superstitio, facitque respublicas impostoribus obnoxias. Quia homines imagine pietatis, non seruales modo, sed pueriles etiam efficit.

§. 4. Deinde nimia Deum colendi, timendique sollicitudo anxios animos efficit, imo homines ineptos, & ridiculos; itaque barbaros, mulierculas, & quorum ex adolescentia, vel senectute discernendis rebus infirmum est iudicium, præcipue infestat. Scio apud Romanos iam cultos, fuisse superstitionem magnam; sed fere ludibrio erant eius commentatores, Numerius Atticus iurauit quidem vidisse se Augustum in celum ascendere, sed nemo illi credidit, ne Liuius quidem, quamuis pro tam infami periurio decies tertium homini numerauerit.

*Superstitio
pueriles fa-
cit.*

§. 5. Tertio, Cultores vanorum numinum, & superstitionibus addicti, in medio nunquam consistunt, sed in vana, absurda, horrenda, flagitiosa abeunt. Dira enim res est superstitio, nec vllum flagitium adeo foedum dictu, aut factu immane est, in quod non impulerit animos falsæ religioni obnoxios, veritati aduersos.

Vanita-

Vana &
zatra super-
stitionis.

Vanitatem miseram, & ridendam tamen, proponit Augustinus libr. 6. de ciuitate Dei, cap. 10. Libertas sane qua huic (Senecæ) defuit, ne istam Urbanam thelogiam theatricam simillimam, aperte sicut illam, reprehendere auderet, Anneo Seneca, quem nonnullis indicis inuenimus Apostolorum nostrorum claruisse temporibus, non quidem ex toto, verum ex aliqua parte non defuit. Affuit enim scribenti, viuenti defuit. nam in eo libro quem contra superstitiones condidit, multo copiosius, atque vehementius reprehendit ipse ciuem istam & Urbanam thelogiam, quam Varro theatricam atque fabulosam. Cum enim de simulachris ageret, sacros inquit, immortales inuolabilesque Deos in materia vilissima, atque immobili dedicant, habitus illis hominum, serarumque & piscium, quidam vero mixto sexu diuersis corporibus induunt: numina vocant, quæ si spiritui accepto subito occurrerent, monstra haberentur. Deinde aliquanto post, cum thelogiam naturalem predicans, quorundam philosophorum sententias digessisset, opposuit sibi questionem, & ait: Hoc loco dicet aliquis: Credam ego caelum & terram Deos esse, & supra lunam alios, infra alios? Ego seram aut Platonem, aut Peripateticum Stratonem, quorum alter fecit Deum sine corpore, alter sine animo? Et ad hoc respondens, quid ergo tandem, inquit, Veriora tibi videntur T. Tatij, aut Romuli, aut Tulli Hostilij somnia? Cluacium T. Tatius dedicauit Deum, Picum, Tiberinumque Romulus: Hostilius pauorem atque pallorem terribilissimos hominum affectus: quorum alter mentis terrore motus est, alter corporis: nec morbus quidem, sed color. Hac numina potius credes, & calo recipies? De ipsis vero ritibus crudeliter turpibus, quam libere scripsit? Ille, inquit, viriles sibi partes amputat, ille lacertos secat. Vbi iratos Deos timent, qui sic propitius merentur? Dii autem nullo debent coli genere, si & hoc volunt. Tanti est perturbata mentis & sedibus suis pulsa furor, ut sic dii placeantur, quemadmodum ne homines quidem sciant terrorem & in fabulas traditi crudelitatis. Tyranni lacerauerunt aliquorum membra, neminem sua lacerare iusserunt. In regie libidinis voluptatem castrati sunt quidam: sed nemo sibi ne vir esset, iubente Domino, manus intulit. Se ipsi in templis contrucidant, vulneribus suis ac sanguine supplicant. Si cui interi vacet, quæ faciunt, quæque patiuntur, inueniet tam indecora honestis, tam indigna liberis, tam dissimilia sanis, ut nemo fuerit dubitaturus furere eos, si cum paucioribus furerent: nunc sanitate patrociniū insipientium turba est. Tam illa quæ in ipso capitolio fieri solere commemorat, & intrepide omnino coarguit, quis credat nisi ab iridentibus, aut furentibus fieri? Nam cum in sacris Aegyptiis Osirim lugeri perditum, mox autem de inuento magnum fuisse gaudium derisisset, cum perditio eius inuentioque singatur, dolor tamen ille atque letitia ab eis qui nihil perdidit, nihilque inuenerunt, veraciter exprimitur. Huic tamen, inquit, furori certum tempus est. Tolerabile est, semel in anno insanire. In Capitolium perueni, pudebit publicæ dementiae, quod sibi vanus furor attribuit officij: alius numina Deo subijcit, alius horas Ioui nunciat, alius licitor est, alius vector, qui vano motu brachiorum imitatur regentem. Sunt quæ Iunoni ac Minervæ capillos disponant, longe à templo non tantum à simulachro stantes, digitos mouent ornantium modo. Sunt quæ speculum teneant, sunt quæ ad vadimonia sua Deos aduocent. Sunt qui libellos offerant, & illos causam suam doceant. Doctus archimimus senex iam decrepitu: quotidie in Capitolio mimum agebat, quasi dii libenter spectarent, quem homines desierant. Omne illic artificum genus operantium diis immortalibus desidet. Et paulo post: Hi tamen, inquit, etiam si superuacuum usum, non turpem nec insanam Deo promittunt. Sedent quadam in Capitolio, quæ se à Ioue amari putant: nec Iunonis quidem, si credere poetis velis, iracundissima, aspectu terrentur.

§. 6. Ridicula sint ista, at quam turpia alia? Babylonii omnem sexum prostituiebant, incultum sui numinis, aliorum turpitudines silentio præterire ma-

lo. De crudelitate superstitionis videamus. Taurica Diana mactabant hostias humanas, aduenasque ad aram admovebant, nec mitiores Græci quibus dicitur:

Sanguine placatis ventos, & virgine casa,
Sanguine quarendi reditus, animaque litandum
Argolica.

Multis etiam exitio fuit, cruentum dæmonis oraculum,

Καὶ κεφαλὰς αἰδῶν, καὶ τὰ πατὲρ πέμπετε φῶτα
Et capita Platoni, & patri mutite virum. Lumina.

Romæ imminente periculo Græcus & Græca, Gallus, & Galla viui in terram defossi, Carthagine nobiles adulescentes Saturno exusti, ipsæ Dei populus filios suos idolo Molochi immolabat. Rex Moabitum primogenitum filium, & regni heredem super marum dæmoni obtulit, Heltogabalus, Iulianus hominum immolatorum viscera, & fibras Talibus imbuta multitudine quod scelus omittet? itaque periculi est superstitio, si in senatum, in regem, in principes imperita multitudo moueatur. Quæ vero scelera fugiet Respublica, quam ad tam atrocia religionis, & sanctitatis opinio impellit. Ingens igitur fuit error sapientum, quorum insipiens cor obcuratum fuit, tam grandia scelera religionis nomine commendare populis.

§. 7. Quarto, Exempla hoc multa declarant, Daniel. 14. 26. Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter: fecitque massas, & dedit in os draconis, & diruptus est draco. Et dixit: Ecce quem colebatis. Quod cum audissent Babiloni, indignati sunt vehementer: & congregati aduersum regem, dixerunt. Iudæus factus est rex: Bel destruxit, draconem interfecit, & sacerdotes occidit. Et dixerunt cum venissent ad regem, Trade nobis Danielelem, alioquin interficiemus te & domum tuam. Vidit ergo rex quod irruerent in eum vehementer: & necessitate compulsus tradidit eis Danielelem. Qui miserunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus sex. Porro in lacu erant leones septem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & due oues: & tunc non data sunt eis, ut deuorarent Danielelem.

Deprehensa erat sacrificulorum impostura, disrumpita bestia, sed tam vero aduersa, aut incuriosa facti erat superstitio, ut in regem ipsum tota ciuitas confurgeret. Itaque non imperiosa modo, sed feditiosa est superstitio. Magi apud Persas regibus imperabant, sacerdotes Aegypti non minus regibus formidabiles fuerunt. Romano etiam imperio superstitio ius dixit. Metellus Pontifex maximus Postumium Flaminem Martialem, Consulem ne in Africam ad bellum proficisceretur, derinuit, ne fuit. Martias caerimonias defereret. Tiberius Gracchus quod vitio tabernaculum cepisset se diceret, effecit, ut iussu Senatus, C. Figulus e Gallia, Scipio Nasica e Corsica redirent. Publius Clodius Siculus, Marcus Cornelius, Celsæus, & C. Claudius propter exta parum curiose admota aris Deorum immortalium, variis temporibus, bellisque diuersis, Flaminio abire iussi sunt, coactique etiam. L. Iul. 26. Innumera horum sunt exempla, at certe si Sullæ, Summa Mario, Cæsari, Pompeio, Antonio ex huiusmodi imperia ob nugis imperia abrogarentur, ne illi magna clade onugis iussu mnia pensarent. Et tamen quoties de cælo feruadeponerunt? quoties auspiciis comitia, bella, pacem turbant? ut verissime Augustinus dixerit: Felicitas Roma res. cum paucioribus diis vixit, plures enim impleuerunt superstitione animos, domos exhauserunt. Sensit idem Cicero; nam ne domus ei reddi posset, area consecrata est ab inimicis. Quæ Christianis temporibus

Superstitio
omni ty-
ranno im-
manior.

Superstitio-
nis furor.

Crudelis
superstitio.

Talibus im-
buta mul-
tudo quod
scelus omittet?

Et obsecra-
tum est in-
sapiens cor
eorum.

Superstitio
nec regi
parcit.

Roma etiā
superstitio
in rebus
vibemens
fuit.

Superstitio
Christianos
innocentes
erogat.

ribus contigerunt taceo, plurima orbis passus est, ob superstitionem sauitia & auaritia grassantem, exprobrat in apologetico illud gentibus Tertullianus cap. 44. At enim illud detrimentum Reipublicae tam grande quam verum nescio circumspectis, illam iniuriam ciuitatis nullus expendit, cum tot iusti impediuntur, quum tot innocentes erogantur. Vestros enim iam contestamur actus, qui quotidie indicandis custodiis praesident, qui sententis elogia disspungitis: tot à vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur, quis illic sicarius? quis manticularius? quis sacrilegus, aut corruptor, aut lauantium prado? quis ex illis etiam Christianus asseritur? aut cum Christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes, de vestris semper astuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestia saginantur, de vestris semper numerarij noxiorum greges pascunt. nemo illic Christianus, nisi plane tantum Christianus, aut si & aliud, iam non Christianus.

Israelita in
superstitio-
ne crudeles.

§. 8. In Iudaeorum etiam historia publica calamitates superstitionem consecutae sunt, Ierobahal dum fortissimus ad supplicium deposcitur, quia destruxit aram Bahal, Ieremias lapidatur, & reliquiae terrae Israel profectae sunt in Aegyptum, Machabaeorum tempore Saduccaei, & Pharisei Rempublicam turbant, & regiae familiae exitio fuerunt. Quid olim Palaeologis, quid Bohemis obfuit, nisi error, & falsa religionis emulatio? Quid hodie dira Calvinistarum superstitio? nonne rebellionum concitatrix est, & per ciuilem sanguinem sectae incrementa machinatur? Nulla potest esse in hac secta honestas, in qua lex est mendacium, diabolus religio, opera factiones.

Apud Deū,
& societatem
humani
generis
tantum ve-
ris profici-
tur.

§. 9. Quinto. Deus veritas est, veris tantum apud eum proficitur, societas humani generis ex natura est, ex veritate est, veris tantum in ea proficitur, ideo cum simulatione & fraudibus agitur, parua vltra est mentiendi; inter tor oculatos non diu fallitur populus. Omnis superstitio, quia opinione constat facile commutatur, & quia absurda, atque à ratione aliena opinione, etiam eos qui obstinatissimi videbantur, furoris sui pudet. Quid enim si miferos instruat aliquis, si ostendat non homines à simulachris, sed simulachra ab hominibus seruari? Qui igitur princeps vanis religionibus subiectos demorat, in perpetuo periculo versatur, ne fraus tam nota sapientibus deceptis quoque populis vulgetur, quo errore sublato, quicquid erat in superstitione praesidiū, in fumos abibat, imo in odium, & contemptum vertit; nam cum se populus inanibus, & vanis in fraudem inductum intelligit, cum panico metu iacturam fecisse rerum, vel existimationis, cum sine causa pauitasse, principi, vel optimatibus de ridiculo fuisse, non minus indignatur, quam si carere, & vinculis constrictus, alieno arbitrio obstrictus fuisset. Ea est enim natura hominum, vt falli nemo velit, deceptus in auctorem vertat iram. Nunquam autem fraus illa latet, quia incremento suo, & mole se prodere cogitur. Dii aliquando à Romanis credebantur esse. Sed postquam proconsulibus decerni arae coepere, postquam Smyrnaeorum adulatio in Porcio templum statuit, postquam Alabandenses seruilem religionem imitati sunt, quis non rideret nouitios Deos? Praesertim cum illi consecrarentur noui coelites, quos parentes habere nemo sanus vellet. Cum Augustus viuus per aras, & flamines coleretur, cum Liuiam mariti sacerdos esset, eumque veneno ex tereno Deo faceret caelestem, cum omnes provincia hoc imitarentur, & reges, vel sane ad illa cogerentur; Cyzicenis enim obiecta est incuria carimoniarum Augusti; additis violentiae criminibus, ideoque libertatem Parthico bello datam amittere. Tac. lib. 1.

Superstitio
vanitas
vulgata ho-
mines affli-
git.

Superstitio
crescendo
perit.

Magna cle-
mentia Deus

Quis sapientum non trise, cum Caligulam habitu Herculis, aut Veneris prodire cerneret? cum Augu-

stum fulminibus, & radiis ornatum in ara collocatum? imo domum illam per templa adiri? Sed reuera quod nemo credebatur, credere tamen sese dicebant. Ridicule Plinius in panegir. Traiani. Dicant caelo Tiberius Augustum, sed vt maiestatis crimen reduceret. Claudium Nero, sed vt irrideret Vespasianum Titus, Titum Domitianus, sed ille vt Dei filius hic vt frater videretur. Tu sideribus patrem retulisti, non ad metum ciuium, non in contumeliam numinis, non in honorem tuum, sed quia Deum credis. Quid ais vir prudentissime, & omnium nihil fallor hominum studiosissime? Tot Deos fecerunt Quirites tui, quos Deos esse non crediderunt. Flamine, & aris

Augustum coluit, vitulo placauit, & agno, Testantur tituli, produnt consula senatus, Caesarum Iouis ad speciem statuentia templum.

Non credit Plinius eos Deos fuisse, nec credit Romanos credidisse: Traianum tamen ait credidisse patrem suum Deum esse, quid ergo? an Plinius id credidit? Quomodo credit Traiani patrem Deum esse, si nec Augustus, nec Claudius, nec Vespasianus, nec Titus Deus fuit? An etiam, si Traianus ad Imperium non venisset, parens eius pro numine coleretur?

superstitio-
nem in a-
pertum per-
uenire finit.

Apotheo-
seon causa,
& magno
viro inde-
cora adula-
tio.

Quomodo
Traianus
patrem Deū
credidit, ni-
si nemo re-
tro impera-
torum Deus
fuit.

§. 10. Vetus hoc malum est, reges diuinos honores ambire. Curtius libro 8. Cleonis hominis abiectionis adulationis orationem recenset, qua pro Alexandri diuinitate loquitur. Persas ait non solum pie, sed etiam prudenter fecisse, miscendis inter Deos regibus suis, quoniam maiestas imperij, salutis est tutela. Impie fecerunt, & imprudenter. Impie quoniam nefandissimos homines, tanquam sanctissima numina adorant. Imprudenter, quia cum inani, falsoque honore eos delectari cernerent, nec mediocri dignos existimant, superbos effecerunt, & odiosos populis. Diuinus enim honor sacrilegio regum in homines translatus, tum ipsos, tum regnum afflixit. Cyrum certe nulla diuinitas à morte vindicauit, nec Massagetarum regina Deum existimauit, quando caput eius cum Perico sanguine in vtre coeluit Cambysem Cyri filium tæterimis moribus praeditum, fratris, & sororis, quae & vxor erat, interfectorem, nemo Deum credidit, non magis quam bouem Aegyptium, quem Cambyles mactauit, & Deum non esse probauit gladius, qui ex vagina in equum ascendens decidens femori letiferum vulnus infixit. Magi paucos menses dominati, nulla numinis regij religione occisi sunt. Secutus Darius moderatior, feliciter regnauit. Xerxes cum pene se Deum crederet, montibus literas scriberet, ponto verbera infligeret, occisus est ab Artabano, post septem menses tyrannidis Artabano penas dedit. Longissimum imperium fuit Artaxerxis Longimani, qui vt videtur Dei cultor fuit, nam perfici aedificationem Ierosolymarum & templi imperauit, sanctissimum virum Nehemiam eximie carum habuit, itaque & 40. ipsos annos feliciter regnum administravit. Sogdiani deinde diuinitas septem duntaxat mensium fuit, Artaxerxes à Cyro, nec fratrem amante, nec Deum metuente, vulneratus est; nec Artaxerxes Darius filius vnquam pro Deo habuit, si enim putasset Deum, nec Alpasiam eius pellicem petisset, nec immissis Tiribazo nefariam eadem patri inferre conatus esset; Sed neq; Artaxerxes Darium filium à se regem creatum Deum putauit, nec principes Persidos, quorum iudicio tanquam parricida trucidatus est. Ochus deinde occisis fratribus ad regnum peruenit, sed à Bagoa duco sub occisus est, ab eo Arsames filius Ochi rex creatus quadriennio post extinctus est, vltimus regum fuit Darius Codomannus, quem Alexander euerit, ille à suis amicis contumeliolus est habitus, & sauitia ingenti mactatus.

Apotheosis
impia &
imprudens.

Persarū re-
gibus nihil
profuit nu-
minis opi-
nio.

Persarum
regum, qui
dij haberi
noluerunt,
exitus.

Nemo ho-
minem cre-
dit esse
Deum, etsi
id affirmat.

§. 11. Hinc sane iudiciorum diuinorum reſtitutionem fidelis addiſcet; impius vero & impoſtor; ſuperſtitionem; vanosque metus populo iniectos ad regni tutelam non modo non adiuuare, ſed plurimum obeſſe. Odium enim & contemptum parant. Documento etiam eſſe poſſunt Imperatores Romani, quibus viuentibus diuini largiebantur honores, iurandaſque per nomen eorum ponebant aras, quos tamen minima occaſione data, nouos Deos ſuos vnco trahebant; & de Gemoniis præcipitabant. Itaque imprudens Numæ conſilium fuit, qui rem putauit efficaciffimam ad multitudinem illis temporibus rudem in officio continendam, metum Deorum inieciſſe; nam cum vanus ille metus monſtroſorum numinum aliquo bono radio inſiti à natura luminis diſſipatus eſſet, nullum Deum eſſe arbitrati ſunt, & tædio ſuperſtitionis omnem religionem exuerunt. Quin multitudo ſæua impotentique vbi vanâ religione capta eſt, melius quidem vatiſ, quam ducibus pareat, ſed vbi vates intelligit præuicari, & vt illa, *φιλανθρωπία*, omnem conſcientiam ſupprimat, nec vllum numen eſſe arbitratur, quia vbi ſolum reſidere illud credebat, ibi meram fraudem inuenit.

Romani in Deos ſuos, hoc eſt, imperatores erant crudeles.

Superſtitio omnes facit inquietos.

Denique ſuperſtitio gentes facit inquietas, & mutabiles, idque experientia docuit, vbi autem inquietas, & varietas, ibidem etiam ſeditio eſt. Cauſa eſt, quod omnia falſa & vana ſæpe mutantur, & quia exigua in carimonia cum defectum pariuntur religiones omnia turbata cenſent. Romani ſane minuendis ſuperſtitionibus, quibus grauabantur, Sibyllina carmina priuatim haberi, & legi vetabant, Dio. lib. 54. Auguſtus fatidicorum librorum Græci latinique generis, qui nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, ſupra duo miſſa vndique contracta cremauit, hos quoque delectu habito, condiditque duobus forulis auratis ſub Apollinis Palatini baſi. Itaque & peregrinas religiones ſæpe exagitarunt, quod patrias ad examen incudemque reuocare non auderent.

Furor plebis ſuperſtitioſa.

§. 12. Egyptii ſuarum ſuperſtitionum tenaciſſimi fue-
re. De illis vere Cicero lib. 5. Tuſcul. q. Egyptiorum morem quis ignorat, quorum imbuta mentes prauitatis erroribus, quamuis carniſcinam prius ſubiuerint, quam ibim, aut aſpidem, aut ſelem, aut crocodilum violent. Diodorus Siculus ſeditionem ex ſuperſtitione natam deſcribit. Ptolomæus (inquit) quem Romani in regnum poſtea reſtituerunt, cum primo Socius & amicus à Senatu P. Q. Romano dictus eſſet, magna læticia publica, & concurſus fuit. Erant & Romani in turba: atque inter eos miles caſu (non enim ſponte) ſelem occidit. Clamor, ira, tumultus, non inſcitia miſeri, non Romani nominis reuerentia, non imperium Regis, qui purpuratorum præcipuos miſerat ad ſedandum & deprecandum: nihil, inquam, horum iuuat, quin ille ſtatim millenis manibus diſcerperetur, ſic vt nec funeri, aut rogo aliquid ſuperreſſet.

In ſuperſtitione cum ſumma contumacia ſumma lenitas.

De ſuperſtitione igitur Egyptiorum res clara eſt, de eorum inquietiſſima vita, cum multa habeant auctores, mihi pauca recenſenda ſunt, vt extrema in ſuperſtitione contumacia appareat ſummam lenitatem, mutabilitatemque comitem eſſe. Adriani verba ſunt ad Seruianium conſulem, quibus teſtatur, Egyptum totam ſe didiciſſe eſſe leuem, pendulam, ad omnia ſama momenta volitantem, eſſe homines ſeditioſiſſimos, ignauifiſſimos, iniurioſiſſimos. Cauſa fuit, perpetuæ in religione diſſenſiones, & pugna: Vrbes enim propter ridiculas res inter ſæpe committuntur.

Aegypti ſeditioſi ex libris de religione.

Deinde homines illi religioſiſſimi, qui à regibus ad mutuas lites de numinibus, hoc eſt aliis, & capis, hæcenim in hortis numina naſcebantur, quaſi gla-

diatores inſtituebantur, in reges erant contumelioſi, & inſidi. Seneca conſol. ad Heluiam, cap. 9. inſidam Egyptum appellat, & in eadem oratione c. 17. Itaque loquax, & ingenioſa in contumelias præſectorum prouincia, in qua etiam qui vitauerunt culpam, non effugerunt infamiam, velut vnicum ſanctitatis exemplum ſuſcepit; & quod illi diſſicilimum eſt, cui etiam periculoſi ſales placent, omnem verborum licentiam continuit, & Herodian. lib. 4. Egyptij ſunt homines natura dicaces, & facti ad cauilloſos, aut iocos dicendos. Iaciuntque in eos qui eminent multa, quæ iſſis gratioſa, aut venuſta videntur, ſed mordent, & pungunt in quos iaciuntur. Has vero contumelias ſecutæ ſunt innumera cædes; & tumultus. Exemplo ſunt, reges vocati Philadelphi, Philometores, Phyſcones, ob fratrem & matrem occiſam, ob propenduli ventris adipem, quæ nomina quamuis facinoris contumelias referrent, perpetuo tamen quaſi propria, & gentilitia hæſerunt. Fl. Vopifcus eos vocat, ventroſos, ſuribundos, iactantes, iniurioſos, auidoſque nouarum rerum. Fallaces etiam fuiſſe Alexandrinos Ammianus memorat, ſemper alia cogitantes, alia ſimulantes, ad ſingulos motus excaſcendentes, controuerſos & repoſcones acerrimos. Hoc teſtatur & Philo Alexandrinus & teſtis domeſticus, in Flacco. Iuuenalis Satyra 15.

Contumelia Aegyptiorum in reges.

Dio de Alexandrinis iſdem: Alexandrinis quidem ad audienda omnia ſatis eſt animorum: naturaque ſunt ad temere verbis exſequenda, quæcunque ſibi propoſuerint, promiſſiſſimi. Iidem ad bellum, eiſque labores, omnium ſunt ineptiſſimi: quamquam in ſeditionibus, quæ apud eos & frequentiffima & maxima eueniunt, ad cædes ſubinde denent, contendendique de re propoſita ſtudio, vitam maxime contemnunt, in iſſique perire bonum quoddam inprimis expectandum exiſtunt.

Dicaces, timidi, ſeditioſi.

Tam igitur fieri Egypti leues, diſcordes, ſeditioſi, inſuperfraudenti, vt in prouerbium abiicit eorum malitioſa calliditas. Aſchylus:

Δεινὸν πλέκειν τοὶ μηχανὰς αἰγυπτίους

Egregij ſunt ad machinationes concinandas Aegyptij.

Et Theocritus

οὐδεὶς κακίεργος

Δαλεῖται τὸν ἰόντα παρ' ἐργον αἰγυπτίους.

Hæc vero oriſi ſolita, atque conſuetudinem habere ex ſacris, & ſuperſtitionibus facile eſt colligere ex illis quæ in Thaliæ recitat Herodotus. Nam ob ibim, ſelem, aliæſque nugæ, ita ſæuebant,

Aſpicimus populos quorum non ſufficit ira
Occidiſſe aliquem, ſed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus eſſe tibi.

§. 13. Fontem omnium horum malorum eſſe ſuperſtitionem docet poeta quidem, ſed hiſtorica veritate, Iuuenalis Satyra 15.

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Aegyptus porrenta colat? crocodilon adorat
Pars hæc: illa pauet Saturam ſerpentibus ibim.
Effigies ſacri nivet aurea cercopitheci,
Dimidio magica reſonant vbi memnone chordæ,
Atque vetus Thebe centrum iacet obruta portis.
Illic ceruleos, hic piſcem fluminis, illic
Oppida tora canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum, & cepe neſas violare, ac frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina! lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa, neſas illic ſæturum iugulare capella:
Carnibus humanis veſci licet. attonito cum
Talè ſuper cenam ſacinus narraret Vlyſſes
Alcinoo, bilem, aut riſum fortæſſe quibuſdam
Mouerat, vt mendax aretalogus. in mare nemo
Hunc abiicit, ſæua dignum, veraque charybdi.
Fingentem immanes leſtrygonas, & Cyclopaſ
Nam citius ſcyllam, vel concurrentia ſaxa
Cyaneſ, plenos & rempeſtatibus vtres
Crediderim, aut tenui percuſſum verbere Circes,
Et cum remigibus grumiſſe Elpenora porcis.

H

Tatm

Tam vacui capitis populum Phœaca putavit?
 Sic aliquis merito nondum ebrius, & minimum qui
 De Corcyraa temetum duxerat vna:
 Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat.
 Nos miranda quidem, sed nuper consule Vinco
 Gesta super calide referemus mœnia copti,
 Nos vulgi scelus, & cunctis graviora cothurnis.
 Nam scelas à Pyrrha, quamquam omnia Syrmata voluas,
 Nullus apud tragicos populus facit. accipe nostro,
 Dirâ quod exemplum feritas produxerit, æno
 Inter finitimos vetus, atque antiqua simulas:
 Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus:
 Ardet adhuc combos, & Tentyra. summus utrinque.
 Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
 Odit uterque locus, cum solus credat habendos
 Esse Deos, quos ipse colit. Sed tempore festo
 Alterius populi rapienda occasio cunctis
 Visa inimicorum primoribus, ac ducibus: ne
 Latum, bilaremque diem, ne magna gaudia cœna
 Sentirent positis ad templa, & compita mensis,
 Peruigiliæ toro, quem nocte, ac luce iacentem
 Septimus interdum sol inuenit. horrida sane
 Aegyptus: sed luxuria, quantum ipse notavi,
 Barbara famoso non cedit turba Canopo.
 Adde quod & facili victoria de madidis, &
 Blesis, atque mero titubantibus, inde virorum
 Saltatus nigro tibicine, qualiacunque
 Vnguenta, & flores, multaque in fronte corone:
 Hinc ieiunum odium. Sed iurgia prima sonare
 Incipiunt animis ardentibus. hac tuba rixæ.
 Debinc clamore pari concurrunt, & vice reli
 Scuit nuda manus. paucæ sine vulnere male,
 Vix cuiquam aut nulli toto certamine nasus
 Integer. aspiceres iam cuncta per agmina vulsus
 Dimidios, alias facies, & hiantia ruptis
 Ossa genus, plenos oculorum sanguine pugnus.
 Ludere se credunt ipsi tamen, & pueriles
 Exercere acies, quod nulla cadavera calcant,
 Et sane quo tot rixantis millia turba
 Si viuunt omnes? ergo acrior impetus, & iam
 Saxa inclinatis per humum quæstia lacertis
 Incipiunt torquere, domestica seditione
 Tela. nec hunc lapidem quali se Turnus, & Ajax,
 Et quo Thydeides percussit pondere coxam
 Aeneæ: sed quem valeant emittere dextra
 Illis dissimiles, & nostro tempore nata.
 Nam genus hoc viuo iam decresecbat Homero.
 TERRA malos homines nunc educat, atque pusillos.
 Ergo Deus, quicumque adspexit, ridet, & odit.
 A diuerticulo repetatur fabula. postquam
 Subsidiis aucti pars altera promere ferrum
 Audet, & infestis pugnam instaurare sagittis:
 Terga fuge celeri præstantibus omnibus, instant
 Qui vicina colunt vmbrosæ Tentyra palma.
 Labitur hic quidam, nimia formidine cursum
 Precipitant, capiturque: assilum in plurima sectum
 Frustra, ac particulas, ut multis mortuus vnus
 Sufficeret, totum corrosis osibus edit
 Victrix turba, nec ardenti decoxit æno,
 Aut verubus: longum vsque adeo, tardumque putavit
 Expectare focos, contenta cadauere crudo.
 Hic gaudere libet, quod non violauerit ignem,
 Quem summa cæli raptum de parte Prometheus
 Donauit terris. elemento gratulor, & te
 Exsultare reor. sed qui mordere cadauer
 Sustinuit, nihil vniquam hac carne libentius edit.
 Nam scelere in tanto ne queras, & dubites an
 Prima voluptatem gula senseris. vltimus autem
 Qui stetit absumpso iam toto corpore, ductus
 Per terram digitis, aliquid de sanguine guslat.
 Vascones, ut fama est, alimentis talibus vsi
 Produxere animas: sed res diuersa, sed illic

Fortuna inuidia est, bellorumque vltima, casus
 Extremi, longa dira obsidionis egestas.
 Huius enim, quod nunc agitur, miserabile debet
 Exemplum esse cibi. Sicut modo dicta mihi gens
 Post omnes herbas, post cuncta animalia, quidquid
 Cogebat vacui ventris furor, hostibus ipsis
 Pallorem, ac maciem. & tenuis miserantibus artus,
 Membra aliena fame lacerabant, esse parati
 Et sua quisquam hominum veniam dare, quisque deorum
 Viribus abnuerit dira, atque immania passis,
 Et quibus ipsorum poterant ignoscere Manes,
 Quorum corporibus rescebantur: melius nos
 Zenonis præcepta monent, nec enim omnia, quadam
 Pro vita facienda putat. sed Cantaber vnde
 Stoicus, antiqui præsertim ætate Metelli?
 Nunc totus Graias, nostrasque habet orbis Athenas.
 Gallia cassidos docuit faciunda Britamos,
 De conducendo loquitur iam rhetore Thule,
 Nobilis ille tamen populus, quem diximus, & par
 Virtute, atque fide, sed maior clade saguntus;
 Tale quid excusat: Mæotide senior ara
 Aegyptus. quippe illa nefandi Taurica sacri
 Inuentrix, homines, ut iam qua carmina tradunt
 Digna fide credas, tantum immolat: vltius nil,
 Aut grauius cultro timer hostia. quis modo casus
 Impulit hos? quæ tanta fames, infestaque vallo
 Arma coegerunt, tam detestabile monstrum
 Audere? anne aliam terra Memphis sicca
 Inuidiam facerent nolenti surgere Nilo?
 Quæ nec terribiles Cimbri, nec Britones vniquam
 Sauromataque truces, aut immanes Agathyrsi,
 Hac sauit rabie imbelles, & inuile vulgus,
 Paruula scitibus solium dare vela phaselis,
 Et breuibz picta remis incumbere testæ.
 Nec penam sceleri inuenies, nec digna parabis
 Supplicia his populis, in quorum mente pares sunt,
 Et similes, ita, atque fames.

§. 14. Accedit his omnibus maius malum & re-
 gnantibus periculofum, nempe cura futurorum, au-
 spicia, exta, vaturnque impostura & lucra. Qui-
 bus in summa pericula sæpe integræ gentes millia
 sunt. Cræsus oraculo delusus hosti ludibrium fuit,
 Iulianum in Persidem dæmones mentiendo petra-
 xerunt. Canebant vates,

Ibimus in Theren superi, victoria certa est,

Mars ego ductor ero, diuini inuictissimus armis.

Quin etiam impie superstitionis patronus Achab
 à prophetis suis deceptus, se, exercitum, familiam
 perdidit. Gallos & Germanos eates crebro afflixit.
 Plutarchus in Cæsare. Magis insuper vaticinia percolle-
 bant illos fatiloquarum mulierum, quæ omnium vorticibus
 inspectis rumorumque egris & strepitibus notatis futura præ-
 ciebant. Hac signa conferre antequam illuxisset noua luna
 verabant. Quibus nuntiatis Cæsar, quum quiescere cerne-
 ret Germanos, optimum facturus est, ut cum torpentibus
 potius confugeret, quam illorum expectans tempora desideret.
 Itaque munimentis eorum & tumulis oppugnandis, quibus
 confederant, laceffuit irritauitque eos, ut cum furore ad di-
 micandum descenderent. Fusos ingenti stragetriginta septem
 millia quingentos passus vsque ad Rhenum insequutus, cam-
 pum hunc cadaueribus & spoliis totum compleuit.

Prædictiones illæ quoque Hispaniæ fuere exitia-
 les: rem narrat noster Mariana l. 2. c. 14. de regis in-
 stitutione: Illud noxium quod Martinus Barbuda Alcan-
 taria Magister à Ioanne quodam sago deceptus, qui diu secre-
 tam ab omnibus vitam egerat, & quasi diuino monitu victo-
 riam pollicebatur, contra icti reens federis leges cum Mau-
 ris, collecta specie religionis magna, sed incondita hominum
 multitudo, in Granata fines incurrens hostium accursu cir-
 cumuentus cum suis omnibus perijt. Diesque Christi ad vitam
 reduci memoria octauus rege & nomine candidus in atrum
 verius est: atque nobili documento sancitum in extraordina-
 ria spe-

Nihil præ-
 senti statui
 perniciosius,
 quam de
 futuris in-
 quisitio.

Germano-
 rum super-
 stitione Cæ-
 sar vsus est
 vicit.

via specie sanctitatis inesse sepe fraudem. Nolumus ergo principem in hominibus faciles accommodare aures. Nolumus ut totos dies & noctes in precibus & animi anxietate consumat, quod esset non minus noxium. Sed ita se comparare debet, ut neque de futuris eventibus magnopere laboret: in diuino presidio & pietate salutis spem ponat: ad curandos morbos non alios quam medica artis peritos adhibeat, & eorum consilio herbas salutaris.

§. 15. His vero impediri vitia consilia, oriri seditiones, rerum nouarum spes, & insidias, ita clarum est, ut nullius imperatoris Ethnici tempora illis caruerint, sub quo enim non fuerunt quaestiones contra eos, qui de vita principis, de successore magos consulissent? Grande autem hoc impictatis mysterium, animos infamia plebis vehementer infestant. Ad omnem motum, ad omnem progressum, ad vocem, ad occursum vel hominis, vel bestiae ad cantum oscinis, ad volatum auium, ad casum ubi ex ore pulli, non modo trepidare, sed exercitum educere, vel continere castris, mare transmittere classe, vel in portu consistere, belli & pacis artes regere, tanta & stultitia, ut in hominem cadere non videatur. Iulianus cadente stella terretur, & consilium aruspices, qui suadent ne quid agat. Augustus circa religionem talis erat, ut ait Sueton. Tota & fulgura paulo infirmius expauescebat, ut semper & ubique pellem vituli marini circumferret pro remedio: atque ad omnem maiorem tempestatis suspensionem in abditiu & concameratum locum se reciperet: consternatus olim per nocturnum iter transcurso fulguris, ut supra diximus.

Augusto etiam miserabilior erat Alexander, qui ita se gessit, ut nihil esset tam paruum, aut absurdum, si modo insolitum, quod in prodigium, aut omen non videretur; itaque sacrificium, iusurantium, diuinantium regia plena erat.

Quod si caelo tonante hostis ingrueret, nonne veteranus imperator in latebras sese abderet? Quod si exercitus pari timore teneretur incruenta praeda fieret, ex eo duntaxat, quod fulgure suum indicari exitium falso crederent?

§. 16. Superstitio trepidus, imbelles, serules efficit, quemadmodum vera religio animosus, fortes, & tutelae numinis fidentes. Egyptii superstitiosissimi gentium ad bellum inepti erant, semper pene feruierunt, imo cum regionem haberent tam fertilem, externis vilissimis in rebus ministrabant. Itaque per contemptum vocabantur ἀχρηστοί, ἀντιποθέσι, βαυίλι, laterum geruli, vasto autem & neruoso erant corpore, quod tamen non armis sed oneribus seruilibus exercebant, quod haberent animos humiles formidine Diuum, depressoque premerent ad terram. Itaque in istos βασίλιντος Aristoph. iocatur:

Δύ ἀμαρτὴν ἰσοδύναμη, καὶ κερὰ δία,
'Οὐς δὲ καὶ ἀν' ἀεὶ καὶ δὴν ἔκατον ἀνθρώπων.
Duos currus, duosque mortuos imposuit,
Quos ne centum quidem ferrent Aegyptij.

Quomodo enim magnus animus esse potest, qui tam viles res pro numine veneratur? Qui in minimis summum bonum constituit? Turca quam sunt animo feruili? stellas aiunt è carenis aureis pendere, animalibus superstitiose cibos suggerunt, Indi nonnulli quibus hospitalia, palatiaque exstruunt, homines interim negligunt, Americani, Japonique quam superstitiosi? Sed tamen omnes stolidi, imbelles, abiecti, & ad quasi seruendum nati. Cum enim omnia timere cogantur, non possunt esse magnanimi.

CAPVT XV.

Machiaueli imprudentia & superstitio demonstrata.

§. 1. Quid sapienter factum esse multi existimantur ex Ethnicis, ut multitudinem exrimoniari metu, & religionis quadam tragedia continerent, id iam refutauimus, sed quia tamen Machiauelius qui videri Christianus voluit, eodem principem suum ducit, examinanda sunt, quae l. 1. de repub. cap. 11. 12. 13. 14. scripsit. Magnam enim imprudentiam cum summa superstitione coniunctam habent.

Cap. 11. Quamuis à Romulo Roma primam originem traxerit, eumque ut filia patrem merito agnoscere debeat: nihilominus tamen viderunt dii immortales, quod leges à Romulo late & instituta: ad tantum imperium acquirendum non sufficerent. Quamobrem, eo ex hac vita migrante, senatum mouerunt, ad Numam Pompiliu successorem eligendum: ut is videlicet ea suppleret, quae à Romulo neglecta fuissent. Cum is ergo ad imperium peruenisset, populum Romanum ad belli artes institutum, ferocemque deprehendit: quem cum ad pacem & tranquillitatem instituere cuperet, ad religionis cultum instituendum, omne studium conuerterit. Quem tam praclare instituit, ut multis seculis, nusquam gentium tantus timor Dei existeret, quantus apud Romanos, ex Numa institutione erat: quae res omnia illa instituta per multum promouit.

Probat salutem Romae à reuerendo illo religionis cultu dependisse. Quia iusiurandum, quod coacti praestiterant, seruare solebant, ut cum post cladem Cannensem Scipio iuuentutem pauescentem, & ad regem aliquem discedere duce Metello cogitantem stricto ferro iurare coegit, quod deserere patriam nollent. Ut cum Titus Manlius Pomponium Tribunum stricto pignore adegit, ut iuraret à patris illius accusatione cessaturum. Itaque plus Numae quam Romulo debuisse Romanos affirmat. Tandem concludit in haec verba: Quae cum ita se habeant, concludo cultum religionis à Numa Pompilio institutum, vnam è primariis causis extitisse, propter quas Romani in rebus gerendis tam felices fuerint. Nam ubi religio est, locum habent bonae leges, ac bona disciplina, ex quibus fortunati, felicesque rerum eventus, in expeditionibus praesertim bellicis nascuntur. Sicuti è contra etiam, sublata religione, corrumpi Rempublicam oportet: quoniam sublato Dei timore, sequitur impietas, ex eaque ruina imperiorum. Nam etsi princeps ipse fortasse pius sit, & subditorum impietatem virtute sua aliquo modo compenset: quia tamen is est mortalis, & forte etiam vita brevis: necesse erit, ut eo moriente, virtus quoque, quae supererat sensim vna cum imperio labatur.

§. 2. Cap. 13. Non absre, inquit, facturum me puto, si propositis exemplis ostendam: Romanos ope Religionis sepe perturbatam Rempublicam instituisse, & expeditiones quasdam suscepisse. Huiusmodi exempla cum apud Lium multa sint, ego tamen pauca hac tantum adducam. Postquam Pop. Romanus tribunos plebis consulari potestate creasset: hique omnes, praeter vnicum plebei essent: orta est eodem anno Romae pestilentia grauis, atque amone charitas, praeterea, alia quadam portentosa apparuerunt. Hinc igitur Patricij sumpta occasione, asseriebant has calamitates Pop. Romano à diis immortalibus immisas, ob abusum maiestatis imperij & male usurpata tribunitiam potestatem, neque eos placari posse aliter, quam si legitima tribunitia potestatis ratio restitueretur: quare pauescentia plebs, tribunos omnes ex patriciorum ordine creauit. In Veiorum obsidione longissima etiam, cum milites tadio pertasi Romam redire vellent, Religionis quodam pretextu, ad obsidionem continuandam à ducibus retenti fuere. Nam cum Albanus lacus excreuisset: Oraculum Apollinis ita sum interpretati, ac si illa aquarum inundatio urbem eo anno expugnatum iri nuntiaret: adhibitisque ad Albani huius prodigij procuracionem, & placandos Deos, Vates, qui Roma capitiuus tenebatur. Quibus omnibus miles persuasus, patienter belli molestias tolerauit: atque inde factum, ut Camillus Dictator creatus urbem expugnaret: quam Populus Romanus toto decennio oppugnauerat. Quae quidem Romani nunquam

Machiauelius Arthus superstitionis usum principi suadet.

Quinam illi dii?

Numa igitur sanctius & propheta?

Iuramenti religionem Romani seruauerunt.

Roma cum paucioribus diis melius vixit, cum vno felicissime vixisset.

Patricij occasione plebeios terrent.

Militem cum Albanus lacus excreuisset: Oraculum Apollinis ita sum interpretati, ac si illa aquarum inundatio urbem eo anno expugnatum iri nuntiaret: adhibitisque ad Albani huius prodigij procuracionem, & placandos Deos, Vates, qui Roma capitiuus tenebatur.